



II. Abtheilung: Mittheilungen.

Bulle Martin V. betreffend die Abhaltung von Provinzial-Capiteln der Benedictiner in Sachen der Reform.¹⁾ — Reformstatuten des Provinzial-Capitels in St. Maximin im J. 1422.

Mandatum bulle apostolice domini Martini apostolice sedi pro tunc praesidentis directum dominis Abbatibus in ipsa expressis de convocando et celebrando provinciali capitulo ordinis sancti Benedicti in Coloniensi et Treverensi provinciis.

Martinus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis sancti Maximini et Sancti Mathie extra muros Treverenses et Gorziensis necnon in Tholeyga Metensis et Treverensis diocesis ordinis sancti Benedicti monasteriorum abbatibus Salutem et apostolicam benedictionem. Ut sacra monachorum nigrorum religio quam numero ac merito longe lateque per orbem terrarum divina ampliavit dignatio votivis jugiter gratuletur successibus, apostolice sollicitudinis officium cum expedire conspiciamus diligenter et libenter impendimus optantes in Domino, ut illius professores ad ea frequentanda que cultui vite regularis attinent per dierum successus annuente domino semper solliciti reddantur et prouecti, Sane licet dudum ad correctionem morum ac monastice sanctimonie informationem prouida nonnullorum praedecessorum nostrorum Romanorum pontificum auctoritas generalia in eadem religione capitula per distinctas quoad hoc provincias de triennio in triennium statuerit ubique celebranda, postea tamen superveniente in Dei ecclesia

¹⁾ Aus einem Sammelbände: »Varia historica praecipue Treverica« Stadtbibl. in Trier Nr. 1390 Standp. 1353, mitgetheilt von Dr. Lager, Domcapitular in Trier.

scismate, jam per Dei gratiam sedato, celebratio capitulorum hujusmodi in plerisque mundi partibus extitit negligenter ommissa, unde non parva in eadem religione tam in capitibus quam in membris deformitas ac in multa in ejus professorum animis diversitas preter cetera que tacita praeterimus sunt sub oborte, Nos igitur quos ad regimen ipsius Ecclesie licet meritis insufficientibus evocavit altissimus ad hoc propensis studiis invigilare studentes [?] volentes, ut jam cooperante salutis auctore sub nostri regiminis auspiciis, reformationis accomode salus religioni ac illius professoribus hujusmodi feliciter accedat, constitutiones super faciendis hujusmodi celebrationibus ut premittitur editas renovamus ac in perpetuum volumus observari, cupientes quoque in Deo ut tam constitutiones ipse quam etiam alia religioni hujusmodi auctore domino profutura procedant salubriter in effectum discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus receptis presentibus, quamprimum commode poteritis convenientes in unum et per vestrum singulos in aliquorum professorum dicte religionis usque ad duodenarium numerum sub publici notarii aut alterius autentice persone testimonio ad sacrosancta Dei evangelia prestitis, quod ea que vobis harum serie in mandatis et potestate dantur diligenter et cum omni sinceritate curabitis adimplere corporaliter juramentis generali capitulo personarum dicte religionis ad hoc juxta felicis recordationis Bonifacii octavi et Benedicti duodecimi Romanorum pontificum predecessorum nostrorum super hoc editas constitutiones vocandarum in Coloniensi et Treverensi provinciis que quoad hoc utique una et eadem provincia secundum constitutionem hujusmodi dicti Benedicti predecessoris nostri limitate censentur, constitutarum loco et tempore de quibus vobis expedire videbitur hinc ad annum unum a data presentium computandum celebrandum indicere, ipsisque personis indictionem nec non locum ad tempus hujusmodi vestris patentibus literis intimare, ac eas si expedierit ut ad locum ipsum pro celebrando inibi capitulo hujusmodi per se vel si impedimento fuerint canonico detente per procuratores suos idoneos convenire studeant monitione premissa per censuram ecclesiasticam sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo compellatis. Nos enim ex tunc Vos filii abbates ad presidendum in proxime celebrando capitulo hujusmodi tenore presentium deputantes Vobis premissa et alia omnia que presidentie hujusmodi locum in generalibus capitulis dicte religionis secundum constitutiones easdem pro tempore electis gerentibus posse datum est plenam exequendi et exercendi, nec non que in illo rite ordinata fuerint per censuram ecclesiasticam eandem firmiter observare faciendi auctoritatem tribuimus et etiam potestatem Volentes et in virtute sancte obedientie et sub censuris et penis in eisdem constitutionibus contra capitula hujusmodi non

observantes promulgatis districte precipiendo mandatis hujusmodi capitulum in dicta provincia ex tunc et deinceps perpetuis futuris temporibus loco et tempore ad hoc congruis juxta constitutiones predictas celebrari, dantes nihilominus et concedentes eis qui hujusmodi tunc temporibus futuris ad presidendum celebrandis capitulis ipsis deputabuntur, convocandi personas easdem ad capitula hujusmodi et cogendi rebelles appellatione cessante similem potestatem; porro circa electionem illorum qui in dictis capitulis presidere habebunt ac expeditiones eorum omnium que presidentie hujusmodi incumbere noscuntur officio, Volumus quod per easdem constitutiones invenitur maxime ab eodem Benedicto predecessore nostro institutum; Verum si quovis casu forsitan aliquando contingat aliquem vel aliquos ex vobis vel aliis presidentibus hujusmodi ejus officium declinare aut nolle acceptare vel subire, seu forsitan hujusmodi capitulorum celebrationi non posse commode interesse, tunc college sui cum ad locum celebrandi pro tunc capituli accesserint primitus et ante omnia de majoris tamen partis celebratio capitulum ipsum consilio et assensu tot alios de suo consortio probos et ydoneos in deficientium seu absentium hujusmodi loca et officium hujusmodi protinus subrogare studeant, quot ex deputatis primitus deesse contingeret ea vice vel abesse, ubi vero omnium presidentium hujusmodi absentie casus forsitan occurrerit, tunc per illos qui ad celebrandum pro illa vice capitulum tunc instans in statutis loco et termino convenerint, totidem alii de suo consortio virtutibus et religioni conspicui illis vicibus dumtaxat ad presidentie assumantur officium pari quoad omnia hujusmodi presidentie officio incumbentia functuri potestate qua ceteri inibi uti potuissent in quorum locis fuerint substituti. Si autem ante celebrationem instantis nunc vel pro tempore capituli aliquem vel aliquos ex vobis aut aliis electis presidentibus hujusmodi decedere seu ejus monasterii prelaturam aut dignitatem vacare contigerit, sub cujus nomine ad hujusmodi presidentiam fuerit deputatus, tunc potestas et auctoritas predecessoris in suum transeat successorem qui sine alia electione in presidentia pari modo succedat antedicto. Sane circa celebrationes locorum capitulorum hujusmodi abilitatem oportune providere volentes statuimus, quod si quando contigerit locum pro capituli hujusmodi celebratione pro tempore electum reddi vel effici propter aeris intemperiem pestilentis aut hostiles incursus vel aliam inevitabilem cladem, incommodum quomodolibet vel infectum, tunc presidentes qui erunt ea vice locum hujusmodi mutare et alium accomodum priori viciniorem quantum fieri poterit eligere non negligant, eoque casu prefinitum tempus valeant prorogare, significaturi tamen personis ipsis ad onus tamen et sumptus communes futuri tunc in proximo capituli mutationem seu prorogationem easdem adeo tempestive

quod personis ipsis ad sic mutatum locum vel terminum considerata locorum distantia non sit incommodum cum oportunis sarcinarum apparatus libere pervenire ad quos eas in prius assignatis locis et terminis venire teneri volumus sub penis que in non venientes per constitutionem eandem sunt infligite preterea quoque licet nonnullæ in eisdem dicti Benedicti predecessoris nostri constitutionibus pene in ipsarum transgressores explicite certis ex causis per felicis recordationis Clementem papam sextum etiam predecessorem nostrum usque ad sedis apostolice beneplacitum sint suspense, Nos nihilominus constitutiones easdem in quantum dumtaxat concernunt penas contra non observantes ea que de capitulorum provincialium ac generalium celebratione ac dependentibus et connexis ex eisdem inibi statuuntur adversus non observantes easdem robor volumus obtinere, Ordinamus insuper quod abbates et prelati alii dicte religionis proprios prelatos non habentes cum visitatores apud eos visitationis officium exercebunt, oportunas preter congruam ministracionem victualium in Benedictinis constitutionibus hujusmodi ordinatam debent visitoribus ipsis hac prima vice pecunias pro suis expensis in via congrue supportandis usque ad monasterium inde per eos immediate visitandum tradere seu ministrare, quas quidem pecunias in proximo tunc celebrando capitulo de communi contributione juxta dictarum constitutionum tenorem in dicenda ministrati seu mutuati hujusmodi per capitulum aut presidentes eisdem restitui volumus ac etiam defalcari; Ceterum, ut ordo ipse quem confessor almificus re et nomine Benedictus candore mentis decoreque virtutum ac sanctarum et laudabilium actionum in agro plantavit ecclesie ejus inutilibus ac in perniciem forsitan palmitum electorum perniciose luxuriantibus evulsis et translatis plantulis radicibus suis circumquaque diffusis liberius palmites suos a mari extendat ad mare montesque operiat umbra sua fructibus salutaribus fecundatos ipsiusque ordinis professorum animarum saluti eo provideatur cautius quo illis certius fuerit omnis materia evagendi sublata, Nos visitoribus per vos et proxime celebrandum capitulum hujusmodi deputandis primaria dumtaxat visitationis sue vice quascunque dicti ordinis personas quascunque deliquisse reppererint ad alia ejusdem ordinis loca seu monasteria de quibus et prout eis tam pro personarum animarum salute quam pro ordinis monasteriorum et locorum hujusmodi salubri reformatione visum fuerit expedire auctoritate nostra transferendi et in aliis monasteriis seu locis hujusmodi recipi faciendi in monachos et in fratres, excessus et crimina corrigendi et condignis penis puniendi ac alias in premissis procedendi juxta predecessorum nostrorum per pie memorie Innocentium papam tertium etiam predecessorem nostrum desuper in consilio generali edite constitutionis formas Ita tamen quod

si aliquos etiam exemptos propter excessuum suorum exigentiam privandos vel deponendos invenerint circa illorum privationem vel depositionem nihil penitus attentent, Sed id de exemptis ipsis sedi apostolice, de aliis vero locorum ordinariis quanto citius studeant deferre, Nec non processus, censuras et penas in delinquentes ipsos si id illorum pertinacia vel rebellio exegerit, ac in capitula hujusmodi, dictosque visitatores impediētes et alios contradictores quoslibet et rebelles per easdem constitutiones quomodolibet promulgatos ubiquando et quotiens expedierit per se vel alium seu alios publicandi ac usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observati faciendi, contradictores quoque et rebelles ac quoslibet impediētes hujusmodi cujuscunque etiam status, gradus ac ordinis vel conditionis fuerint, etiam si pontificali prefulgeant dignitate nostra appellatione remota compescendi et nihilominus legitimis super his per eosdem visitatores habendis servatis processibus eos quotiens expedierit aggravandi et etiam invocandi ad hoc si opus fuerit auxilium brachii secularis Vobisque preterea et presidentibus predictis qui pro tempore in capitulis hujusmodi constituti fuerint et eisdem visitatoribus predicta primaria hujusmodi sue visitationis vice dumtaxat et quamdiu illa duraverit quarumcunque personarum diete religionis in vobis et sibi decretis provinciis degentium sibi subditarum in foro tamen penitentiali dumtaxat confessiones semel tantum audiendi et eis pro commissis etiam in casibus in quibus minores penitentiarum sedis predictae in Romana curia pro tempore residentes absolvere possunt debitam absolutionem impendendi eosque a quibuscunque forsitan per constitutiones antedictas aut alias occasione premissorum vel propter apostasiam seu alios quoslibet excessus a jure vel ab homine ac etiam a generalibus excommunicationum sententiis, censuris et penis in eos quomodolibet promulgatis, dummodo illorum absolutio Romano dumtaxat pontifici reservata non existat, in forma ecclesie consueta, si hoc humiliter petierint, cum condigna tamen quibus facienda fuerit satisfactione penitentia absolventi ac cum eis super irregularitate si quam hujusmodi sententiis ligata celebrando divina vel alias se illis immiscendo Non tamen in contemptum clavium aut sacros etiam ordines suscipiendo vel hujusmodi regularem ordinem profitendo seu in illo se recipi faciendo vel etiam alios in illo recipiendo seu recipi procurando simoniace aut alias illicite vel per corruptelam contraxerint, eas tamen prius ad tempus de quo vobis aliis presidentibus qui erunt pro tempore et visitatoribus antedictis videbitur a suorum ordinum executione suspensis ut sic alias tamen rite per eos susceptis ordinibus ministrare valeant, dispensandi omnemque inhabilitatis et infamiae maculam seu notam per eos premissorum occasione contractam abolendi

plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Non obstantibus si monasteriis et locis dicti ordinis hujusmodi provincia consistentibus eorumque personis etiam in dignitatibus etiam in abbatialibus constitutis vel eidem ordini a quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sede indultum existat quod a(d) conservationem capitulorum hujusmodi, aut quod aliquos preter aut contra eis concessa privilegia seu indulta ad visitandum vel alios admittere minime teneantur personeque ipse adcompelli vel excommunicari seu ipse aut monasteria vel loca hujusmodi interdici vel suspendi non possunt per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem et quibuslibet privilegiis exemptionibus locis vel personis predictis conjunctim vel divisim sub quavis forma vel expressione verborum ab eadem sede concessis etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis et expressa ac de verbo ad verbum presentibus esset habenda mentio que quoad hoc ipsis nolimus suffragari. Volumus autem quod quilibet ex professoribus et personis prefatis quem vel alios presidentes qui erunt pro tempore vel visitatores prefatos aut aliquem ex vobis seu illis a dictis sententiis censuris et penis seu ipsarum aliqua vigore presentium absolvere contingat singulis quibus propterea per absolutum hujusmodi fuerit satisfactio impendenda ipsam infra competentem ad id per vos vel eosdem alios presidentes seu visitatores peremptorium statuendum terminum impedimento cessante canonico impendere debeat et teneatur alioquin termino elapso hujusmodi in sententias censuras et penas easdem relabatur eo ipso.

Datum Rome apud Sanctum Petrum sexto Kalendarum Junii pontificatus nostri anno quinto.

Statuta reformationis nigrorum monachorum ordinata in provinciali capitulo ordinis sancti Benedicti provinciarum Coloniensis, et Treverensis in monasterio sancti Maximini extra muros Treverenses celebrato anno Domini incarnationis **M.CCCC.XXII.**

Universis presentes literas inspecturis nos Lampertus sancti Maximini, Joannes sancti Mathie extra muros Treverenses ac Thomas sancti Mauriti in Tholeyga Treverensis diocesis ordinis Sancti Benedicti Nigrorum monachorum monasteriorum abbates presidentes a sanctissimo in Christo patre et domino nostro domino Martino divina providentia papa quinto Neenon Karolus abbas monasterii sancti Joannis baptiste Florinensis Leodiensis diocesis, a prefatis dominis presidentibus de consilio et consensu capitulum generale celebrantium ob defectum quarti college a sede apostolica deputati ad officium presidentie capituli nigrorum monachorum ejusdem ordinis provincie Coloniensis et Treverensis, que quoad

hoc una utique et eadem provincia secundum constitutionem felicis recordationis Benedicti pape duodecimi limitate censetur, exequendum et secundum seriem literarum apostolicarum nobis directarum et auctoritatem et potestatem nobis traditam fideliter cum omni sinceritati adimplendum deputati videlicet in monasterio sancti Maximini extra muros Treverenses dicti ordinis celebrati ac die decima octava mensis octobris videlicet die beati Luce evangeliste inchoati cum diebus sequentibus anno Domini M.CCCC. vicesimo secundo Indictione decimaquinta anno Domini domini Martini pape ejus quinto secundum tenorem literarum predictarum et felicis recordationis Innocentii tertii et Bonifacii octavi ac Clementis quinti necnon generalium conciliorum statuta et constitutiones Benedicti duodecimi ac sacrorum canonum sanctiones Salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod pro utilitate et necessaria monasterii sacri ordinis predicti reformatione ex officio nobis injuncto et auctoritate et potestate nobis tradita secundum predicta ut tenemur in presentia dominorum abbatum et prelatorum in dicto capitulo congregatorum ac convocatorum quorum nomina sequuntur et procuratorum absentium videlicet: In diocesi Treverensi comparentes abbas Prumensis per Henricum decanum et Adolphum custodem monasterii ejusdem, abbas Epternacensis per se, abbas in Laon [Lacu?] per se, abbas Lutzenburgensis per abbatem Epternacensem et abbatem sancte Marie ad martires, abbas in Mediolacu, abbas Schenawe, abbas in Gronawe, abbas in Ruttell per fratrem Joannem de Sirck et Petrum de Auroth (?) prepositus in Hirtzonawe, abbas sancte Marie ad martires, abbas s. Martini. In diocesi Coloniensi comparentes abbas s. Cornelii, abbas s. Martini, abbas Sancti Panthaleonis, abbas in Bruwilre, abbas in Tuitio, abbas s. Lutgeri Werdunensis, abbas in Syburgh, abbas in Graffschaff, abbas in Gladbach, abbas in Leyestar [spar?], abbas in Lesbren, abbas in Werder, abbas in Schen, (?) abbas in Yburgh per magistrum Henricum de Groningen decretorum doctorem. In diocesi Monasteriensi abbas in Muiste, (Münster?) abbas in Wellvort, abbas in Syle, (Siloc?) abbas in Derdingh [od. Dadingh] per dominum abbatem in Siluort. In diocesi Leodiensi abbas Stavelensis per se, abbas sancti Jacobi, abbas sancti Laurentii, abbas s. Huperti, abbas Broniensis, abbas Gemblacensis, abbas in Welirdron per fratrem Henricum Hugonis, abbas s. Trudonis per fratrem Joannem Layr custodem ibidem et magistrum Reinerum Schatz. In diocesi Trajectensi abbates Egmondensis, sancti Pauli et Laurentii per magistrum Wilhelmum Wug (?) legum doctorem et magistrum Jacobum de Herlem bacularium in decretis et fratrem Wilhelmum Vienhalo, abbas in Stauria per fratrem Joannem Pyr, electus in Sinalache, abbas in Dickinge, prepositus in Clara Aqua, prepositus

in Nigra Aqua per fratrem Walterum, in diocesi Tullensi abbas Senonensis, abbas sancti Mansueti per magistrum Gaufredum, abbas s. Apri per fratrem Nicolaum, abbas monasterii Mediani per fratrem Hupertum In diocesi Metensi abbas Busonisvilli, abbas Gortziensis per abbatem Senonensem et Adam notarium, abbas in Hornbach. In diocesi Wirdunensi abbas sancti Agritii per fratrem Theobaldum, abbas de Belloloco per eundem fratrem, abbas s. Witoni per fratrem Jacobum, abbas sancti Michaelis per fratrem Petrum, Prior de Nanseyo per fratrem Joannem et Nicolaum de Spynella. Non comparentes in diocesi Metensi abbates sancti Arnulphi, Symphoriani, Clementis, Laurentii et Martini, abbas Glandariensis, abbas de s. Nabore, in diocesi Trajectensi abbas in Forszward, Quos et quemlibet eorum reputamus et reputavimus presentibus contumacem vel contumaces ac propterea penas in constitutionibus Benedicti pape duodecimi ac in bulla contentas declaravimus et per presentes declaramus incidisse, quas cuilibet eorum ad viginti florenos Renenses taxavimus et per presentes taxamus persolvendos infra hinc et festum beati Martini proxime futuri et sub excommunicationis pena quam tempore medio quod pro monitione canonica ipsis deputavimus et presentibus deputamus si in termino prefato non satisfecerint in ipsorum quemlibet ferimus per presentes ac excommunicatos denunciari volumus et mandamus in locis et monasteriis ordinis prefati prout in Benedictina continetur, quorum absolutione nobis presentibus et cuilibet nostrum dumtaxat reservavimus et reservamus. Tum quia abbas in Gronaw Treverensis diocesis recessit sine licentia et in contemptum obedientie cui preceptum speciale factum fuit per unum presidentem de non recedendo, quapropter juxta constitutionem Benedictinam tanquam filium inobedientie reputavimus et eum presentibus reputamus contumacem, ob quam contumaciam et penas in dicta constitutione domini Benedicti duodecimi contentas ipsum declaravimus et declaramus presentibus incidisse, quam arbitramur in hunc modum videlicet quod pro hujusmodi contumacia et penis predictis solvet duodecim fl. Renenses, quorum solutionem domini presidentes sibi in futuro capitulo ex causa reservarunt Ac sententias et penas non satisficientes in statuto per nos termino de collectis pro expensis capituli deputatis et aggravationes nobis cum absolutione oportuna predictas sententias et penas incurrentium et cuilibet nostrorum in posterum reservavimus et reservamus per presentes. Statuimus et ordinamus que sequuntur: Primo quod capitulum provinciale et ordinis predictorum proxime celebrandum secundum statuta et sanctiones predictas celebrabitur in monasterio sancti Jacobi Leodiensis diocesis ejusdem, in quo omnes abbates, prepositi ceterique prelati ad presens capitulum convocati comparebunt sub

penis in bulla papali et constitutionibus domini Benedicti duodecimi, ac aliis censuris et penis in corpore Juris clausis contra inobedientes promulgatis, comparebunt anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo vicesimo quarta Dominica qua cantabitur in ecclesia „Jubilate“ post festum Pasche circa horam vesperorum ad audiendum processum in capitulo provinciali quod diebus immediate sequentibus celebrabitur observandum; et in eo presidebunt domini abbates sancti Willibrordi Epternacensis Treverensis diocesis, sancti Jacobi infra muros et sancti Laurentii extra muros Leodienses ejusdem diocesis et Dominus abbas in Stauria, propter eorum corporalem presentiam in capitulo provinciali presenti, Dominica Misericordia domini immediate precedente dominicam Jubilate, ibidemque jurabunt in presentia duodecim monachorum professorum et duorum notariorum officium suum fideliter exercere sub forma que sequitur: „Ego N. abbas talis electus et deputatus per presidentes provincialis capituli Treverensis quod capitulum alias fuit in monasterio sancti Maximini prope muros civitatis ejusdem anno domini millesimo quadringentesimo vicesimo secundo circa festum Luce evangeliste in presentia capituli provincialis proxime celebrandi, juro quod officium presidentie mihi injunctum diligenter fideliter et cum omni sinceritate ac viribus meis exercebo, postpositis omnibus amore odio ac favore ac quocunque alio inordinato affectu secundum Deum et beati Benedicti regulas ac regularia instituta, sic me Deus juvet et hec sancta Dei evangelia.“ Insuper propria nomina presidentium non expressimus quia in casu quo aliquis vel aliqui eorum tempore medio vitam terminarint successor illius vel illorum in locum defuncti succederet. Missam cantabit feria 2^a post Jubilate Dominus abbas s. Jacobi per se vel alium, sermonem faciet dominus abbas in Stauria per se vel alium infra missam decantandam. In diocesi Treverensi visitabunt domini abbates Epternacenses et sancti Mathie diocesis ejusdem et visitabunt dominum abbatem s. Mathie domini abbates s. Joannis Baptiste Florinensis Leodiensis diocesis, et in Silvort Monasteriensis diocesis. Sed dominus abbas s. Willibrordi visitabitur per dominum abbatem s. Mathie cum collega per eundem assumendo. In diocesi coloniensi visitabunt domini abbates s. Cornelli et sancti Martini infra muros Colonienses diocesis ejusdem, quos visitabunt domini abbates sanctorum Jacobi et Laurentii Leodiensis. In diocesi Leodiensi visitabunt domini abbates sanctorum Jacobi infra muros Leodienses et Laurentii extra muros diocesis ejusdem, quos visitabunt domini abbates sanctorum Maximini et Mathie extra muros Treverenses diocesis ejusdem. In diocesibus Trajectensi, Monasteriensi, Osnaburgensi et Myndensi visitabunt domini abbates in Stauria Trajectensi, et in Sylvort Monasteriensi, quos visitabunt abbas

Gemblacensis et abbas Broniensis diocesis Leodiensis. In diocesis Metensi, Tullensi et Wirdunensi visitabunt domini abbates sancti Michaelis Wirdunensis et Senonensis Tullensis diocesis, quos visitabunt domini abbates s. Maximini et s. Mathie Treverensis diocesis. Volumus preterea quod nullus visitorum prefatorum ultra sex equitatum (? as) secum ducere debet, Item quod duo visitorum ultra duodecim equitatum (? as) secum non habeant, nisi magna necessitas periculi imminentis urgeret ad habendum plures, quod idem de venientibus ad capitulum volumus observari, et si contrarium fecerint ultra tantum quantum exposuerint teneantur solvere reponendum in communi archa ad utilitatem capituli prefati infra mensem, quodsi non fecerint ad duplum per presidentis arbitrandum in dicto proximo capitulo condemnentur nulla eis remissione super hoc profutura. Ordinamus insuper dictam archam communem debere stare in monasterio sancti Jacobi Leodiensis tribus seris et clavibus diversificatis seratam, in qua per thesaurarios seu custodes clavium infra nominandos de contributione communi et aliunde obvenientia ad utilitatem capituli prefati reponentur; prefatos vero thesaurarios eligimus abbates s. Jacobi et Laurentii ac Florinensis Leodiensis diocesis, dantes eisdem thesaurariis prefatis visitoribusque et eorum cuilibet potestatem exigendi petendi et requirendi omnia et singula debita in ipso capitulo imposita vel imponenda pro supportatione capituli et ordinis predictorum. Volumus autem recepta seu recipienda per visitorum prefatos quod omnia mittant thesaurariis jam dictis seu alteri eorum, ut in prefata archa reponantur et ut omnia predicta et alia ipsi capitulo incumbentia valeant supportari monemus auctoritate et nostra omnes et singulos abbates et prelatos provincie et ordinis predictorum quatenus quilibet eorum de summa per visitorum eisdem taxanda ipsis visitoribus satisfaciant, que summa taxanda valorem sex florenorum Renensium non excedat, infra tempus trium dierum computandorum a die qua visitorum causa visitandi ad sua monasteria declinaverint, nisi prius satisfecerint vel suis visitoribus aut eorum alteri satisfaciant, quod tempus pro tribus monitionibus canonicis eis prefigimus et volumus sufficere, alioquin eos dicto termino elapso in his scriptis excommunicamus, excommunicatos denunciari volumus et mandamus in locis et monasteriis prefatis prout in Benedictina continetur, quorum absolutiones thesaurariis prefatis seu eorum cuilibet et singulis visitoribus reservamus, qui dicti visitorum seu eorum quilibet satisfactione premissa non autem alias dictam absolutionem impendere habent facultatem, de receptis vero seu recipendis rationem in proximo futuro capitulo expressam facere teneantur. Volumus etiam quod presidentes, thesaurarii et visitorum terminum capitulo proxime celebrandi preveniant sic quod thesaurarii sint ibidem

sabbatò ante dominicam Jubilate supradictam, presidentes vero die lune, ac visitatores die Martis proxime ex post sequentibus, interimque relationem de commissis eisdem et discussionem quantum poterunt ante reunionem dicti capituli facere debeant ut adveniente termino ipsius expediantur. Volumus quod visitatores omnino provideant de conversis ordinis quod obediant abbatibus et prelatiis suis ac a se omne excludant consortium monialium seu quarumcunque mulierum suspectarum, et quod non intersint secretis monachorum, sub penis et censuris in Benedictina contentis contra inobedientes promulgatis; Volumus quod visitatores omnino observent formam Benedictine in capitulo de visitoribus traditam et visitatores absentes antequam primum actum visitationis incipiant in monasterio visitando, coram prelo et conventu juramentum prestabunt sub forma sequente: Ego N. a reverendis in Christo patribus dominis presidentibus capituli provincialis nuper in monasterio sancti Maximini prope civitatem Treverensem diocesis ejusdem et de consensu ipsum capitulum celebrantium in visitatorem talis diocesis electus et deputatus, juro per hec sancta Dei evangelia quod officium visitationis mihi injunctum fideliter et diligenter cum meis viribus exercebo, omnibus amore, favore, odio aut quocumque alio inordinato affectu postpositis, secundum Deum et beati Benedicti regularia instituta, sic me Deus adjuvet et hec sancta Dei evangelia. Exhortamur omnes visitatores et singulos ad precavenda multorum perturbationem ac molestiam, ne transferant personas ordinis de monasterio ad monasterium, et si fieri contingat ex magna et rationabili causa sine turbatione recipientium sic translatos omnino volumus ut extra terminos visitationis sue illos non transmittant, quia nec extra prefatos terminos ullum jus aut potestatem a nobis se agnoscant recepisse. Volumus et ordinamus quod omnia et singula monasteria provincie nostre procurent sibi infra annum constitutionem Benedicti duodecimi correctam et collationatam ac sub manu publica signatam, insuper ordinamus et volumus visitatores a data presentium et festo pasce proxime futuro fieri et cum effectu impleri sub penis in constitutionibus Benedicti duodecimi contentis, quod si non fecerint illas ipso facto incurrere volumus. Insuper volumus quod si commode duo conjuncti visitatores insimul visitare non poterunt, alter eorum officium visitationis exercere possit. Volumus et ordinamus quod abbates seu alii prelati sub se preposituras et prioratus habentes infra sex menses proximos a data presentium computandos subditos suos convocent et juxta formam constitutionis Benedictine loquentis de celebratione capituli annalis, ipsum annale capitulum celebrent, omniaque que in presenti nostro capitulo provinciali statuta et ordinata suis subditis pronuntient et ea inviolabiliter observare faciant; insuper ut devotioni succuratur sacre

nostre religionis professorum uberius quo id temporis festivitas amplius exoptulat solemnior, declaramus consuetudinem seu potius abusum quorundam monasteriorum que in hac parte sacre derogat devotioni omnino abolendam, quam et presentibus abolemus et volumus aboleri, qua in precipuis festivitatibus maioribus seu festo palmarum monachi nostri ordinis suis monasteriis derelictis ad alia transcurrant, volumus igitur deinceps et ordinamus ut deinceps in prefatis festivitatibus religiosi in propriis monasteriis sedule suo famulentur creatori. Deinde ad ordinis reformationem ex officii debito oculorum aciem dirigentes quedam totum ipsum ordinem concernentia pro ipsius reformatione duximus statuenda, et primo ab opere Dei inchoantes ordinamus quod officium divinum diurnum pariter et nocturnum devote, tractim et pausatim, non transeundo, non sincopando, horis competentibus, prout in regula beatissimi patris nostri Benedicti continetur, celebretur, ad quod mox ut auditum fuerit signum relictis omnibus que fuerint in manibus summa cum festinatione concurrant cum gravitate tamen ne scurrilitas fomitem inveniat ita tamen quod nihil operi Dei preponatur, et ne excusari pretextu ignorantie non auditi signi valeant, volumus quod tractus matutinarum, que media nocte incipi volumus, prime et vesperarum ad minus ultra quartam partem hore perduret; qui vero ad prefatum divinum officium non venerit irremissibiliter prout continetur in regula puniatur. Volumus etiam quod abbates et ceteri ordinis prefati celebrent, confiteantur et communicent prout in constitutione dicti domini Benedicti duodecimi de celebratione missarum continetur, et quod illi qui secundum statuta apostolica et Benedictinarum sanctiones in sacris et presbyteratus ordine constituti esse debeant, infra annum ad ipsos ordines promoveantur. Volumus insuper et ordinamus quod qualibet die in locis ubi sunt sex monachi et aliis ubi consuetum est post primam, si tantum una missa cantatur, si vero due, post primam missam vel alia hora consueta teneatur capitulum quotidianum, in quo de disciplina regulaque vulgariter per presidentem ipsi capitulo seu alium cui ipse jusserit exponatur, antequam ad alia procedatur, ac monachi in prioratibus seu preposituris et aliis administrationibus commorantes in ecclesia horis congruis et locis cum dictis prioribus seu prepositis et aliis administratoribus simul sint et canonicas horas dicant et in istis celebrandis suas ebdomadas ordinate, debite et tractim, non sincopando, humiliter et devote horis competentibus et cum nota, ubi fuerint tres vel quatuor facere teneantur, et in talibus ubi tres sunt et supra, una per eos ad minus missa cum nota qualibet die celebretur prout in Benedictina et de monachis ad beneficia mittendis et modo conversandi in eis continetur, et contra negligentes, visitatores prout ex officio juramentoque tenentur procedant et negli-

gentium seu delinquentium culpe et excessus puniantur. Volumus quod quilibet cum ad suum monasterium devenerit de mundis bonis, vase et loco, in et ubi eucharistia reportatur infra mensem provideat, et libri cum ceteris ornamentis divinum officium concernentibus cum diligenti custodia reserventur; tum quia per decentiam habitus extrinseci dicti ordinis professi et novitii debent morum honestatem ostendere, statuimus et ordinamus quod omnes tonsuras deferant largas et latas itaque circulus ipsarum spatium seu grossitiem unius pollicis transversalis comprehendat et non ultra excedat, seque decenter habeant in vestibus habitibus et calceamentis juxta Clementinas: Ne in agro, et constitutionem Benedicti duodecimi de forma et honestate vestimentorum, ut videlicet portent tunicas et vestes habitui superiori proximas nigri vel bruni aut albi coloris juxta morem apud eos solitum servari, rotundas et talares non fissas nec alia deformitate notandas, largas manicas habentes usque ad pugnum protensas, nullomodo bottonatas seu nodatas, non tamen adeo largas quod latitudo ipsarum supra pugnum cum pollice erecto valeat extendi nec circa os cubiti, sicut habetur abusus quorundam, ultra protendantur quam quod brachium possit faciliter verti et infraduci, almutiis vel pellibus loco caputiorum sint contenti, caputiis tamen honestis in locis quibus soliti sunt ipsa portare cornuta¹⁾ seu becca vel corneta, fissis super humeros longitudine quatuor digitorum transversalium ad minus uti de licentia abbatis possunt. In vestibus pro foderaturis tantum agriculorum seu agnellorum pellibus aut saltem pannis aliis non pretiosis utantur; non foderature supra collum vel in fimbriis vestium seu manicarum appareat (ant) aliquo modo, nec aliorum silvestrium qualiumcunque animalium quovis modo pro foderaturis portare presumant. Preterea cum ipsos extra monasterium contingat proficisci floccum cucullam aut cappam portent et subtus cappam si eam portaverint et cucullam aut scapulare; novitii vero cucullam intus monasterium et extra apertam ad utrumque latus, et conversi scapulare cum caputio sibi convexo clauso intus et extra portent. Verum quia aliqui habitibus predictis magis amplis et longis, alii vero minus quam decet utuntur, eapropter latitudines longitudinesque predictas duximus presentibus inserendas quas volumus observare, et primo incipientes a caputio flocci ordinamus quod ipsius latitudo non attingat os cubiti grossitudine duorum digitorum transversalium, nec valeat esse strictius seu ita breve quin usque medium cubiti et ossis superioris prope scapulam protendatur; dictum vero caputium retro ad minus usque ad corrigiam protendatur nec ultra ipsam ad quatuor digitos valeat extendi, longitudo manicarum

¹⁾ In mscr. Cornuptio.

per cubitum unum ultra manum et non plus extendatur et latitudo alium cubitum non extendat; inferius autem sit adeo latus quod passus infra ipsum faciliter fieri possit, et ea que dicta sunt de flocco intelligi volumus et de cuculla quae debet esse semotis manicis ut floccus in statura; Intra vero monasterium in locis in quibus fuerint duodecim monachi et supra omnes flocco utantur; in aliis vero ubi non fuerit tanta congregatio cucullis clausis in lateribus spatio trium digitorum ad minus uti possunt, presidentibus monasterio et primo post ipsum [ipsos] quos floccum omnino portare volumus dumtaxat exceptis; in operibus tamen et officio divino subtus albam ac equitando subtus cappam scapulare quod sit longum usque ad talos et latum quod scapulas comprehendat vel ad minus spatium dimidii cubitus [i] cum parvo cuputio caput comprehendens honestatem habitus designando portare tantum valeant; Camiseis lineis aut canapeis non utantur sed vel stamineam vel vestem laneam dictarum camisiarum portent, et stivallos seu bottas vel sotulares corrigiatis altos, ita quod altitudo spatium quatuor digitorum comprehendat de tibia super cavillam portent; abbates vero extra monasterium equitaturi in cappis et regularibus capellis equitare debent. formam prelatorum et honestatis monastice ostendant, ac capellanos decenter cappatos secum ducere non omittant. Similiter singuli monachi monasterium exituri cucullam floccum aut cappam portent, non tabbardum vel mantellum seu qualiumcunque vestium aliam portare presumant sed sicut statutum est in Clementina: Ne in agro, et in constitutione Benedicti duodecimi videlicet de forma et honestate vestimentorum. Ceterum quod fratres communiter vivant et comedant in refectorio in quo nullus omnino carne vescatur, et diligentes sint visitatores ut constitutiones dicti Benedicti de esu et abstinentia carniū faciant inviolabiliter observare, menseque eorum non desit lectio, et qui lecturus fuerit tota ebdomada dominica ingrediatur post benedictionem prout in regula capitulo 33^o de ebdomadario lectore continetur, ita quod singuli per singula loca vestiti dormiant si fieri potest vel saltem deni aut viceni, non autem per cameras, maxime si non fuerint cancellate competenter ita quod aperte et clare possint in eis videri lectisternia per modum conversationis secundum dispositionem abbatis, si vero tamen camere in dormitorio reperiuntur, precipimus per visitatores sepefatos destrui vel competenter cancellari, quarum janue non claudentur neque [h]ostia patebunt, possunt tamen pannum habere ante januas sed non ultra cancellos extensum, qui etiam temporibus nocturnis ab ostio removebitur; et quod silentium in oratorio, dormitorio, refectorio et claustro observetur, et post completorium nulli liceat loqui quicquam ut regula canit, ante vero legatur collatio patrum aut aliquid aliud edificatorium, et diebus sabbatinis mandat, ut in

regula, servetur, et quod ad portam monasterii cujuslibet unus portarius seu janitor deputetur providus et discretus neque absque licentia abbatis aut alterius presidentis in monasterio de eodem egrediendi libertas concedatur, et si quisquam sine licentia hujusmodi exiverit penis subjiciatur constitutionis Benedicti sepedicti: de licentia exeundi extra monasterium sive eam non danda, attentus insuper sit quod mulieres nullomodo intrare permittat. Preterea ut audivimus quidam abbatum seu aliorum presidentium mendicantes in monachos sine superiorum suorum licentia recipiunt et incorporant et quod deterius est ipsis postmodum vagari permittunt in animarum suarum detrimentum et scandalum plurimorum, prohibemus quod de cetero talia non presumant, et quos jam receperunt de auctoritate sedis apostolice vel sufficienti licentia teneantur quantumvis poterunt et alios extra monasterium vagantes vel saltem infra dimidium annum ad monasterium revocare, aliquin sententiam suspensionis si diligentiam in hoc non fecerint incurrant; et ea que dicta sunt de monasterio virorum volumus in monasterio monialium quoad articulos eis competentes similiter observari, volentes nihilominus et ordinantes quod sub perpetua teneantur clausura prout in constitutione Bonifacii octavi, que incipit: Periculoso, de statu monachorum continetur. in virtute sancte obedientie precipientes visitoribus quod supra hoc diligentiam exactam apponant, et ordinamus quod abbates ponant in suis monasteriis magistros sufficientes qui novitios introducant in primitivis scientiis, et introductos transmittere ad generalia studia, pensiones eis assignando secundum formam statutorum sepedicti Benedicti. Visitatores prefati statuta facere possunt penas graviores infligendo constitutione: Ne in agro, contra taliter inordinatos seu professionis immemores; porro a venationibus et ancupationibus omnes semper abstineant nec eisdem interesse audeant seu canes vel aves venatores per se vel alios tenere presumant, nec a familiaribus secum morantibus seu viventibus teneri permittant, prout in dicta constitutione Clementis quinti videlicet: Ne in agro continetur. Ordinamus preterea quod abbates et alii quibus de consuetudine, statuto privilegio competit recipere spolia beneficiorum sibi subjectorum recipiendo illam constitutionem Benedicti prefati observent, et si in hoc excesserint graviter per visitatores prefatos, etiam preter penas in ipsa contentas quas infligere poterint puniantur; etiam quod loca predicta ordinis non traduntur ad firmam nisi prius visa Benedictina de locis non tradendis ad firmam, quam volumus firmiter observari. Volumus quod cum imminebunt fienda mutua similiter provideatur constitutio de mutuis et venditionibus que etiam similiter observetur; fiant etiam inventaria in assumptione cujuslibet abbatis prout in Benedictina de inventariis continetur, et ut status

monachorum predictorum valeat cognosci precipimus in virtute sancte obedientie et sub pena excommunicationis infligenda per visitatores prefatos quatenus quilibet abbas statum suorum monachorum antiquum et modernum teneatur distincte prefatis visitatoribus tradere in scriptis. Volumus et ordinamus quod numerus monachorum antiquitus institutus si ad hoc sufficienti facultates, vel si non, tot quot commode sustentari et contentari poterunt, teneatur; etiam quod victualia, vestimenta et alia necessaria monachis ministranda nullomodo in pecunia et redditibus ministrentur constitutione quacunque et ordinatione non obstantibus, et in hoc servetur constitutio prefati Benedicti: Ne victualia in pecuniis ministrentur. Volumus autem quod predictis religiosis predicta victualia et vestimenta temporibus ordinatis in Benedictina: de censibus, ministrentur. Abbates quantum commode poterunt divinum frequentent officium ac de fratrum suorum consortio gaudentes matutinis saltem et majori misse atque vespers intersint ibique largiendo benedictiones in lectionibus et inchoando „Te deum laudamus“ in matutinis ac divinis ipsis ac semper gestu, habitu atque progressu cum fratribus suis et in omni debita gravitate [atque] moderamine conversentur; et ut predicta per omnia loca ordinis provincie et diocesum prefatarum melius possint observari volumus nihilominus statuta presentia unacum constitutione Benedicti predicti bis in anno, videlicet post dominicam Circumdederunt in Sexagesima et post Exaltationem sancte Crucis ibi incipiendo: Deinde ad ordinis reformationem ex officii debito, loco lectionis meridiane, ne quis causam ignorantie pretendere valeat, distincte in monasteriis et aliis locis ordinis monachorum et monialium legantur et publicentur, requirentes et rogantes in juris subsidium omnes alios dicti capituli minime subditos quatenus contenta in presentibus literis que executione indigent executioni debite commendent et demandari faciant competenter. Volumus vero transgressores puniri per visitatores preter penas in predictis contentas et prout eis videbitur expedire, Vobis preterea omnibus et singulis personis supradictis in virtute sancte obedientie et sub excommunicationis pena precipimus ne hujusmodi reformationis statuta et ordinata temerario ausu respuere seu contemnerre presumatis, sed perpetuo ac inviolabiliter observare studeatis et procuretis possetenus observare in contrarium facientes prout de jure possumus et tenemur procedimus, in quorum omnium et singulorum robor et testimonium has presentes literas sigillorum nostrorum appensione et signis, subscriptionibus notariorum nostrorum juratorum subscriptorum jussimus communiri. Acta fuerunt hec in monasterio sancti Maximi extra muros Treverenses ordinis sancti Benedicti in loco capitulari ejusdem, anno Domini millesimo quadringentesimo vice-

simo secundo, Jndictione decimaquinta, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et Domini nostri Martini divina providentia pape quinti anno ejus quinto, die vero vicesima quarta mensis Octobris videlicet Sabbato post Luce evangeliste hora primarum vel circa, presentibus ibidem venerabilibus et religiosis Dominis Mathia sancte Marie ad martires, Joanne sancti Martini Treverensis diocesis, Sibraudo in Silvort Monasteriensis diocesis et Valentino Senonensis Tullensis diocesis monasteriorum abbatibus et quampluribus fide dignis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Communicatio in sacris und Excommunicatio ob haeresin? ¹⁾

Der katholische Bürgermeister eines Landstädtchens besucht bisweilen den Gottesdienst einer nichtkatholischen Gemeinde und stimmt in Gesellschaft von Freidenkern und Irrgläubigen bloss aus menschlichen Rücksichten äusserlich deren falschen Lehren bei, obschon er sie innerlich verwirft. Macht er sich im ersten Falle der Sünde der communicatio in sacris schuldig, und verfällt er im zweiten wegen Häresie oder wegen Begünstigung derselben der dem Papste speciali modo vorbehaltenen Excommunication?

1. Um die erste Frage richtig zu beantworten, ist zunächst darauf Rücksicht zu nehmen, in welcher Absicht und Weise der Bürgermeister dem akatholischen Gottesdienste beiwohnt: ob er es zum Zwecke und in der Art einer förmlichen Theilnahme an demselben oder nur aus Neugierde als blosser Zuschauer thut. Im ersten Fall ist seine Theilnahme ohne Frage eine schwer sündhafte, eine factische Anerkennung des nichtkatholischen Cultus und eine Verneinung der Einheit des Glaubens in sich schliessende communicatio in sacris. Es kann daher einem Katholiken unter keinem Umstände gestattet sein, dass er in solcher Absicht und Weise an dem öffentlichen Gottesdienste und an den religiösen Handlungen der Akatholiken, speciell an deren Predigten, gemeinsamen öffentlichen Gebeten und Gesängen, an ihren Taufen und Eheabschlüssen sich theilige. Anders müsste man urtheilen, wenn der Besuch des akatholischen Gottesdienstes ohne innere und äussere Zustimmung nur aus Neugierde oder in der Absicht stattfände, um die religiösen Gebräuche, die Predigtweise, den Choralgesang und dgl. kennen zu lernen. In solcher Absicht und

¹⁾ Mit diesem Artikel eröffnen wir, auf mehrfachen Wunsch hin, eine Serie Pastoral-Theologischer Artikel, die jedoch durchwegs nur Mitglieder unserer beiden Orden zu Verfassern haben werden. — Um Beiträge für diese Rubrik wird hiermit gebeten.
Die Redaction der »Studien.«